



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorum Liber ... Hoc est,
Collectio Veterum monumentorum, quæ hactenus
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

Baluze, Etienne

Parisiis, 1679

Narratio quomodo cùm eadem controversia postea recruidisset inter eosdem monachos, Vrbanus II. Papa novæ inter eos concordiaë auctor fuit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14735

sanctæ Trinitatis prædictam pecuniam persolveret Ecclesiæ sancti Albini Andegavensis; ea tamen conditionis lege, ut prædictus Abbas Otbrannus hoc ipsum in capitulo sancti Albini ex assensu fratrum omnium ac totius familiæ ratum faceret. Quod ut firmum & inconvulsam maneret, litterarum memoriæ tradi voluerunt; & in capitulo Carnotensis Ecclesiæ, ne quando lis sopita revivisceret, unanimiter confirmaverunt.

S. Adraldi Episcopi. Signum Otbranni Abbatis. S. Ingelranni Decani &c. S. Orrici Abbatis &c. Anno ab incarnatione Domini M L X X I I.

In ipsa synodo fecerunt primò monachi sancti Sergij, vel monachus Adelardus, clamorem de Campiniaco adversus Abbatem S. Albini.

*NARRATIO QUOMODO
cùm eadem controversia postea recruduisset
inter eosdem monachos, Urbanus I I. Papa
novæ inter eos concordie auctor fuit.*

Ab. 1094.

Eccliam sancti Clementis Credonensis castri cum omnibus appendiciis suis ecclesiasticis possedere quietam monachi beati Albini amplius quam triginta annis in pace. Eam Goffridus Martellus Andecavorum Comes, patenti eis sublatam violentia, monachis dedit Vindocinensis monasterij, non tamen sine calumnia monachorum sancti Albini. Cùmque pro hac re inter hos illosque monachos jugis perseveraret discordia, tentatis priùs frustra pluribus synodorum conciliorumque judiciis, apostolica tandem vocatione Urbani Papæ jubentur præsentari, facturi ad invicem ex ejus decreto canonica jura. Au-

dierat enim jam secundo de hac re Papa prædictus monachorum sancti Albini clamorem; quem ad ejus aures detulerat Milo quidam eorum commonachus, missus ad hoc jam semel & iterum ab Abbate & ceteris fratribus ejus. Deliberatum itaque est ab utriusque congregationis monachis ut electi seniores duo tresve hinc & inde apostolicis destinarentur conspectibus: qui ei partis utriusque causas tali patefacerent conditione, ut quicquid ex ea re præsentibus illis apostolica firmaret auctoritas, hoc firmum & inviolabile utriusque monasterij defenderet posteritas. Eo tempore Abbas sancti Albini Girardus vehementi laborans infirmitate, equitare non poterat. Sed & Bernonem Vindocinensis monasterij Abbatem anni jam declinantes in senium ab omni labore excusabant. Electi sunt ergo ad hanc legationem, de monachis beati Albini, Girardus Prior, Stephanus quoque, & Milo, famulique eorum. De Vindocinensibus quoque electi sunt Frotmundus Prior, & Ingelbaldus, famulique eorum. Qui profecti pariter, pariter se Papæ obtutibus obtulerunt, pariter & causas suas manifestaverunt. Ille diligens in utramque partem, prout oportuit, examinatus, post multas hujus illiusque partis retractationes, pacem tandem & concordiam inter utrosque, utrorumque libera voluntate, composuit. Et pacis quidem ejus sive concordie pactum Priores ambo, & monachi qui cum eis erant, datis propriis fiduciis in manu Papæ firmaverunt. Sed & idem Papa ad firmitatis cumulum, pactum eorum propriis confirmavit sigillis & litteris, quarum exemplum hic adnotatum sequitur.

VRBANVS Episcopus servus servorum Dei dilectis in Christo filiis * Girardo Abbati sancti Albini Andecavensis & Bernoni Abbati sanctæ

* Malè Sirmond. Goffredo

Trinitatis Vindocinensis salutem & apostolicam benedictionem. Anno dominicæ incarnationis millesimo nonagesimo tertio, pontificatus nostri quinto, Indictione prima, cum essem in provincia Calabria apud monasterium sanctæ Mariæ quod dicitur de Matina, monachi sancti Albini, Girardus Prior, Milo, Stephanus, adversus monachos sanctæ Trinitatis de Vindocino, Frotmundum Priorem, Ingelbaudum Hostiarium, qui præsentés aderant, conquesti sunt quod Vindocinenses fratres Ecclesiam sancti Clementis Credonensis, quæ à monachis sancti Albini iustè secundum illorum temporum consuetudinem acquisita ac per tringinta annos quietè & sine interruptione possessa, violenter ablatam iniustè detinerent. Qui cum suis instrumentis & rationibus causam suam defendere niterentur, primo die proclamationis res diù & multùm ventilata, nullo potuit sine terminari. Secunda verò die similiter multùm discussa, ad nullum tamen est finem deducta. Die autem tertia, duodecimo scilicet Kalendas Decembris, residentibus nobis in Anglone civitate Apuliæ, præsentibus religiosis & venerabilibus tam Episcopis quàm sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus sive Diaconibus, astantibus etiam nobilibus Romanis & Comitibus Apuliæ gloriosissimis Boamonte & Guillelmo, re iterum diù & multùm inquisita, tandem inspirante Deo lucidiùs eluxit in quam potiùs partem iustitia declinaret. Cum enim utraque pars suis nobis allegationibus obviarent, & hinc pactionem Abbatum, confirmationem Pontificum Romanæ Ecclesiæ Legatorum, illinc verò legitimum introitum & canonicam triginta annorum possessionem nobis opponerent, nos, qui omnium fidelium causas æqua lance pensare debemus, utriusque utilitati providentes, ipsam litem concordie convententis æquitate decidere maluimus. Omnes

igitur qui nobiscum aderant hanc sententiam collaudantes, consentientibus prædictis utriusque cœnobij fratribus in manus nostras fidem pollicendo firmantibus, concordia & pax inter eos hoc modo posita est, ut scilicet Vindocinenses monachi de his tribus Ecclesiis, aut Ecclesiam Manitilium, vel sancti Saturnini, sive sancti Iohannis super Ligerim, unam quam congregatio tota sanctæ Trinitatis elegerit, cum omnibus quæ ad eandem Ecclesiam tam mobilibus quàm immobilibus interiùs exteriùsque ad præsens pertinent, infra dies triginta postquam domum redierint, monasterio sancti Albini in perpetuum tradant. Fratres itaque sancti Albini omnem litem omnemque calumniam ex causa hac in manus nostras & Vindocinensium fratrum refutaverunt. Vindocinenses verò unam supradictarum Ecclesiarum in manus nostras reddiderunt, & per nos eosdem monachos investierunt. Præsenti igitur auctoritate fraternitatem vestram admonemus & præcipimus ut hoc pactum à nobis intentione pacis & quietis dispositum & statutum omni tempore deinceps ratum & inconvulsam teneatis & observetis. Quæcunque autem pars hanc nostræ decisionis sententiam non susceperit vel transgredi præsumpserit, tam canonum severitati subjaceat quàm legitimæ compositionis pœnam, id est auri centum librarum, sustineat, & à causa penitens cadat. Data Tarenti VII. Kalendas Decembris.

Postquam autem reversi sunt Priores & qui cum eis missi fuerant, recitatae sunt litteræ istæ tam in Vindocinensi quàm in sancti Albini Capitulo, in præsentia Abbatum & monachorum, concedentibus universis pacem illam & concordiam quam Pape poscebat sententia. Tradideruntque Vindocinensis monasterij fratres monachis sancti Albini Ec-

clesiam sancti Iohannis quæ est super Ligerim, cum tota ejus agrorum & vinearum possessione, in nomine supradictæ concordie. Quæ ut plenius firmaretur, missi sunt à monachis suis Frotmundus Prior, Ingelbaldus Hospitalarius, Herbertus de Booleto in Capitulum sancti Albini; ibique in omnium audientia concessa est ex utraque parte pax supradicta. Sed & de monachis S. Albini missi sunt in Vindocinense Capitulum Girardus Prior, Hugo Mansellus, Stephanus quoque, & Archembaldus; ibique Abbas Berno tandem se concedere testatus est concordiam; sic ceteris consentientibus, ut ne unus quidem adversaretur. Ad quod audiendum adhibiti sunt seculares testes. Ex parte sancti Albini, Girardus, Firmatus, Popardus, Samazoellus, famuli monachorum qui missi fuerant. Ex Vindocinensi parte, Anseius carpentarius, Gualterius carpentarius, Vvalterius sutor, Durandus de Andecava, Herbertus Bloius, Odo Modiolus, Rainaldus de Andecava, Guarinus hospitarius, Albertus Boverius, Bernerius secretarius, Rainaldus pistor.

*ALIA NARRATIO DE EADEM
controversia, & de judicio Amati Archiepiscopi
Burdegalensis apostolicæ sedis Legati.*

An. 1096.

VRbanus Romanus Pontifex missis litteris mandavit Amato Legato suo, Rodulpho Turonensi Archiepiscopo, Goffrido Andecavensi Episcopo, ut litem quæ est inter sancti Albini & sanctæ Trinitatis Vindocinensis monachos de Ecclesia sancti Clementis Credonensis, vice sua iusto iudicio deciderent. Amatus itaque acceptis litteris supradicto Archiepiscopo & Episcopo mandavit quatinus